


Partem captivorum, simul qui mecum capti erant,
 Maiorem liberasti; pauci adhuc sunt in manu
 Karthaginensum. Illi a Romanis degenerati sunt,
 Quom pro micis, quae decidunt de mensis hostium.
 In humilitatem descendunt; illi enim magis
 Cordi est vitae voluptas, quam bona aestumatio.
 Ego saepe experiebar ira horroreque percitus
 Illos tropea adspectantis Karthaginensum
 Nullo adfici pudore. Num manus illorum vinculis
 Adsuetae poterunt ferre arma honeste et fortiter?
 Usus cum improbis homonibus facit quemque improbum.
 Illos captivos obliviscimini. Mihi parcite,
 Ne sim plus eloqui coactus. — ME. Credimus tibi;
 Nam nemo Romanus temere alteri civi loquitur male.
 RE. Tibi, Metelle, gratulor et vobis gratulor,
 Duili et Valeri, et omnibus vobis ago gratias,
 Qui tota castra hostium servatis in custodia.
 Oro vos per deos, ne dimittatis illos liberos;
 Nam hercle ubi Romani una castra amiserint,
 Cives cuncti ira commoti lubenter arma capiunt.
 Tamen longe res est aliter Karthaginensibus;
 Nam quas res hic Romae servos facit aliaque pusilluma.
 Quae forte nos fortuna ignoramus, haec sunt ibi
 Cottidiana civibus: ab armis abhorrent tamen.
 Quidni desiderent captiva castra militum?
 Qui una cum aura Romana Romanam fortitudinem
 Hic imberibunt et hauserunt ea, quae nos a patribus
 Nostris acceperamus. Captivos nolite dedere,
 Quibus ignis vindictae fervet in pectoribus.
 Meum si eritis sequuti consilium, Karthago occidet.
 Exercitus fortis ac doctus non emi, sed tempore,
 Severa disciplina, exercitatione militari adsidua
 Atque adeo crebris potest parari proeliis.
 Cogant illi licet exercitum, nulli manipuli,
 Verum catervae erunt inconditae atque turbidae,
 Quarum pol imperium vix quisquam optet capessere,
 Quia priores de crucibus pendere viderat duces.
 Quin etiam Xantippus, ille vir fortissimus,
 Qui tamquam deus illis in miseriis additus,
 Karthaginem iam labentem servarat atque exerat,
 Is, inquam, fuga celeri effugere vix potuit necem.
 Istaec, huc adveni, patres, ut vobis nuntiem;
 Ad hoc momentum temporis vitae meae pepercera.
 Di vostram mentem sic sua virtute dirigant,
 Ut id decernatis, quod Romanis salutem conferat.

(Ad proximum numerum).

ALMA ROMA

Per.
Lat
011

C. DEL VECCHIO.



QVID QVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET

Pauca exemplaria supersunt

JOSEPHI FORNARI operis, cui titulus:

COMMUNIA VITAE

Phrases et formulae ad latina colloquia instituenda.

Editio altera locupletior.

Venit libell. italic. 8; quibus addenda erunt libell. 0,50 in Italia; libell. 1 apud exteris nationes, pro transmissionis expensis.

Praeterea

Apud Commentarii Administratorem venumdantur eiusdem auctoris Mile-siae fabulae latine scriptae scenisque accommodatae apud ephebea facile agendis:

FRIDIANUS-FRANCISCVLI PRANDIUM

Singulae pretio italic. libell. 2.

(*Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus.*)


Pro lectoribus novisque sociis, qui **integralm ALMAE ROMAE collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXXV, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libellorum 525 pro Italia; pretium duplicatum, libell. italic. scilicet 1050, pro exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngrapham in Urbe exigendam, *recto tramite* requirendae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est, non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

Ann. XXIII

Romae, Mense Octobri MCMXXXVI

Fasc. X



ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium subnotationis an. MCMXXXVI est pro Italia libell. 15; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequias; ante solvendum rectoque tramite mittendum sive ad JOSEPHUM FORNARI doctorem *Romam, Via del Governo Vecchio, 96* sive ad *Typographiam Polyglottam Vaticanam, Città del Vaticano*.

MORS LANIATA

Carmen doct. JOSEPHI FAVARO Patavini in certamine poëtico Hoeufftiano

an. MCMXXXV magna laude ornatum.¹

Murmure dum vario resonat reboatque thea-trum
et quandoque iubens vox quedam tollitur alta,
fervet opus properatque labor. Diffunditur aequa lux ubicumque cadens summo de fornice blanda. In media cavea, super albo marmore mensam, nudum, porrectis resupinum cruribus, hirtum, procerum, squalens macie totumque rigescens, exanimum corpus, subiecto caudice collo, stat, caput abiciens modiceque recline deorsum. At iacet illud iners an non...? Terribile visu!

Pallidus atque inhians, rigida sannaque pro-
tervus et, quasi larvae instar, cute² versa frontis ami-
cur³ negat hic vultus vehemens, collumque re-
pugnans

¹ Cfr. fasc. sup. mens. maii, pag. 77.

— Neque anatomicus, neque medicus, satis tamen doctus quidam, quum pathologicae cadaveris dissectioni forte adfuisse, quidquid spectavit ibique simul cogitavit, enarrare fingitur.

² Cutae calvariae transversa sectione incisa, utraque eius pars subducitur et contrarie invertitur: una scilicet ad faciem versus, quam, personae instar, aliquantum obtegit, altera ad occipitum; ut nuda calvaria pateat.

³ Dum serra alternis propellitur et attrahitur, haud raro, rimae osseae angustiis constricta, subito consi-

attrahit, istud eo pariterque negare coactum? Motibus alternis crepitans dum stridula fertur, frontis ebur solidum praecutis dentibus urget ducta perita serra manu, quae saepe, tenaci dum cristata acies rima retinetur et haeret, cum subito stat, tum renuentes excitat ictus. Hoc liquet: at sic nonne reniti forte videtur, quo minus angatur, caedi ne sufferat ultra? Haud secus, atrocem si cladem, siue nefandum nosceret horrorem, quae mox aditura latebras, si modo suspiceret, quam vi maiore negaret!

Ferrea, quae cranium⁴ redimit, nunc ecce co-
rона
interiora frians retinacula prorsus adepta;
aggreditur passim cuneus tunc undique rimam,
donec, hians, vecti pedentem instante, recedit
et crepitans tandem, vinclis, inversa, solutis,
praeceps marmoream plangit calvaria mensam,
olla ut fissa crepax, fluitans ac volvitur, orbes
circumagens aliquos, puerilis turbinis instar.

stit, ita ut caput et collum dextrorum atque sinistrorum trahantur, et sic abnuere videantur.

⁴ Cum serra (ferrea corona) satis intus progressa vi-detur, deponitur, ne cerebrum laedatur, atque cuneus ferreus in rimam osseam passim immittitur, qui, ut vectis agens, calvariam gradatim extollit et non sine labore denique evehit.

Nunc, velis sectis, cerebrum nudatur, et inde intima dum facili scalpello vincula cedunt, deprimitur sensim, donec plus plusque deorsum, lenta manu pansa moles comprehenditur alba.

A summo collo, medius per pectus, ad imum usque alvum, cultro sculptus, dextraque gravis [vante], accelerans longis nunc sulcus tractibus exit; pectoris anterior clatos denudat, et inde interior ventris tandem penetralia pandit. Ecce madore nitens extorum levis acervus, sulphuris unde levis nidor diffunditur auris. Forcipis inflexi morsu dum costa renitens frangitur⁵ ac tenui fremitu subsibilat aëris a vacuo suctus, simul, inde stupescere noli, distendi vacuo cum pulmo desinat ultra, halitus hinc iterum trans rictum redditur auris. Nunc anima prorsus tantum corpusne relicta?

Iam cor adest primum, primum sic viscus [ademptum]. Quod semel haud unquam, ruerat dum vita, [quievit], auctor enim, quo vita perennis permeat artus, detectum, incisum, evulsum, flaccescit, et aequa faece nigra stillans ut quaedam spongia tincta, id, cohidente manu, piceum densumque cruento exprimit. Accedunt et cetera viscera, nempe pulmones ambo, iecur atque lienis, et inde, aëris inclusus dum migrans murmurat, atque sulphureus circum flatus dum crassior halat, ventriculus flaccens atque intestina voluta, cum reliquis extis et ren ablatus uterque.

Singula nunc navo studio subigenda sequuntur, mors laniata parat morbos compescere vitae. At cerebrum primum petitur, quod lance tenetur: materiemque albam sic uda novacula, tractim progrediens, scindit solvitque in fragmina lata. Supra marmor succedunt nunc viscera prompta:

⁵ Quum aëris externus pleurae penetrat, pulmo contractatur, atque aëris in ipso contentus per os efflatur.

hoc⁶ leviter crepitat, retines vix aure susurrum, murmurat haud aliter, quam si glutiret et illud,⁷ dum digiti tractant suppressa stridet at istud, ferri acie scissum, sollers dum Sector ubique inspicit, ac penitus mortis mysteria scrutans, morborum indagat⁸ sedes causasque: quid, unde, cur, ubi, quomodo, quo, quantum, quotiesne? [Propinquat exitus. Interea gravius nidore theatrum.

Denique disiectum, discerptum, sanguine, tabo, vel sanie stillans, vacuato corpore, quodque sparsum concipitur permixte viscus, ibidem linea dum large serrago fusa liquamen imbibit et siccatur, stabilis quo massa struatur. Nunc iterum calva tectae, subvertitur illud sipparium frontis, vultum totumque repandit, demissos oculosque, genas, nasumque resignat. Nunc ubicumque cutis necit sutura vicissim contiguos limbos, humens ac spongia tergit.

En opus expletum: satis est. Secedat oportet; iamque fatigatum recipit nunc cellula pondus, atque serena quies humili sub fornice lenit. Pax redit hic tandem: nictans at flamme lychnus, obliquis radiis faciem formasque iacentis instabilis mulcet, trepidas dum concitat umbras. Nonne aliquando, dic, vultum mutasse putares? Falleris, ac ne fibra quidem commota videtur, vel cirrus tantum volitans, iactatus ab aura! Decipit ac ludit species teterrima sensus!

Pax, qua iure frui mors nullis invidet, astata, suprema quies, placidoque simillima somno; ut si nunc primo, penitus sed nescius, assis, intus tale chaos,⁹ tantumque latere tumultum credere numne ausis? Aliis num denique pulvis dissimilis fiet, levior ac pace quiescat?

⁶ Pulmo.

⁷ Intestina et ventriculus.

⁸ Celeberrimum illud I. B. Morgagni opus ita enim inscribitur: *De sedibus et causis morborum per anatomam indagatis.*

⁹ Chaos et tumultus viscerum discerptorum, atque in truncis cavitatem permixte coactorum.

DE FONTIBUS IURIS ITALICI

LINEAMENTA HISTORICA

AETAS NOVA¹

Cuiacius Tolosae, in Gallia inferiore, humili loco natus est anno MDXXII, Arnoldum Ferrerium (*Ferrier*) habuit magistrum, a quo flagrans illud studium iuris civilis novaeque docendi rationis proculdubio suscepit, quo compulsus pluries in Italiā venit, quam suam veluti patriam dilexit, revisit pluries, vetera perscrutans, nova di- scens, praesertim ex agmine Alciati, et domum reversus, vix annos natus viginti quinque, privatam condidit *Institutionum* scholam, unde primum et fama simul volitavit et aspera invidia; ut quum ibidem vacaret cathedra quaedam iuris, denegata fuerit Cuiacio, qui tanta perculsus iniuria, domo, exul voluntarius, stomachatus a fugit. Tunc unus ex amicis *Le Case Dieu*, haec exclamasce fertur: « Ingrata patria, quem praesentem contempsisti, absentem requires! » Maior autem iniuria eidem iniusta a patria est, quum Furcatulus, ex agmine dialecticorum, praefertur; quam ad rem perbellę, ut solet, haec scribit Gravina: « Quem tamen mortuum omnis posteritas magistrum agnoscat, proh nefas, viventem sui repudiavere cives, et Cuiacio in honorum contentione praetulere Furcatulum; homini simiam! »²

Itaque quem patria ignorat atque respuit, exteris cupiunt atque amplissimis exceptiunt honoribus: rogatus igitur Duionem Cadurcorum (*Cahors*) secedit, atque succedit Antonio Govaeano, ius civile docens magno omnium plausu; quo factum est ut, auctrice Margarita gallica, a Michæle Hospitalis (*L'Hospital*), qui Cancellarius erat Francisci I regis, iussus est in studiorum

¹ Cfr. fasc. sup.

² Or. et pr., n. 180.

Universitate Bituricensi docere in locum Balduini, qui ob religiosa praeiudicia in Germaniam reiectus fuerat. Biturigis collegas habuit Duarenū et Donellū, qui veteri scholae quum adhaererent, ob novitatem, primum fastidiere, postea aperte et saepe extra modum eum oppugnaverunt. Illi enim viribus in unum collatis, factiosisque suaē discipulis novum in praceptorem concitatis, insidiarum et iuvenili petulantiae metu Cuiaciū recedere, ac retroflectere cursum coegerunt, ut secesserit Parisios; unde tribus post mensibus Valentiam dignis honoribus accersit. Mortuo autem Duareno, auctrice rursus Margarita, quae interea Emmanueli Philiberto Sabaudico nupserat, Michaël Hospitalis Donellū acerbissimis litteris obiurgavit, compressoque tumultu, Cuiaciū ad Biturigas honorificentissime remisit; ubi eo maiori gloria docuit, quo magis ab adversariorū odio exacuebatur; ut dicere soleret se quidquid in iure civili profecisset, acceptum ferre obtrectatore Duareno.³

Instante Margarita, Cuiacius ad Taurinense athenaeum accitur, ubi honoribus amplissimis cumulatus — (fuit enim etiam Emmanueli Philiberto a consiliis) docuit biennio (MDLXVI-MDLXVII), quo potuit iterum atque iterum Italiam perlustrare, Ferrerium magistrum atque amicissimum Venetiis magno revisere gaudio, Pandectas florentinas rursus perscrutari, quas tamen a Cosimo Mediceo obtainere non potuit ut secum, vel ad breve tempus, deferret altioris studii causa. A Gregorio XIII Pont. Max. Bononiam vocatus, recusavit, ut sese redderet ad Universitatem Valentiae quasi dominus et pater; demum Brugis, ubi nulli pares nactus est honores, at simul dolores. Nam uxore atque unico filio orbatus, ex alteris nuptiis filiam suscepit Susannam tanto patre ob pravos mores indignam; quo nihil acerbius cordi patris ac magistri, qui

³ GRAVINA, loc. cit.

optime non de iure tantum meritus est, sed civili virtute ac religione. Fuit enim « Religionis Romanae tenacissimus, impatiensque adeo rerum novarum, ut de rebus ad Ecclesiae iudicium remitteret his verbis: Nihil hoc ad edictum Praetoris ». ⁴ Tot itaque doloribus domesticis, civilibus, religiosis paene confectus est Brugis die IV mens. Octobris MDLXXXXX, magnisque honoribus sepultus est. Amplissima eius opera pluries ac pluribus excussa sunt locis; usitissima est editio Pratensis (MDCCXXXVI-XLIII) in volumina tredecim distributa.

Alciati schola firmata itaque est solidissime cum Cuiacio, qui, omnium maximus, innumeros fere enutritivit discipulos et asseclas; inter quos clarissimos Ioannem Amanritonium, Ioannem Tilium, qui episcopus fuit Briocensis et Meldensis; Franciscum Balduinum, qui docuit in Gallia et in Germania, Antonium Contium, Barnabam Brissonium, Petrum et Franciscum Pithosi fratres, Carolum Molinaeum, Dionysium Gothofredum, eruditissimum, copiosissimum nec inelegans, qui primus edit ex arte critica, pro suis temporibus satis enutrite, « Corpus iuris civilis », Iacobum Gothofredum, Dionysii filium, Antonium Fabrum, Hannibalem Fabrotum, aliosque non paucos, Gallos omnes, si excipias Iacobum Gothofredum, qui Helveticus, et Fabrum, qui Sabaudicus censendus est; non paucos autem labe protestantica commaculatos; idcirco caute legendos.

SYLVIA ROMANI.

⁴ GRAVINA, loc. cit.

— Nil dictu foedum visuque haec limina tangat
Intra quae puer est.
— Maxima debetur puer reverentia: si quid
Turpe paras, ne tu pueri contempseris annos.

IUVENTALIS, Sat.

POLICROMIA APUD GRAECOS IN STATUIS

Polichromiam, eam nempe artem, vel (et fortasse rectius) morem illum et ritum, quo simulacra, statuae, signa quaevis exculpta coloribus insuper pingentur, fuisse apud Graecos passim et traditum est, et idem quae Athenis, Delphis, Olympiae effossa sunt monumenta testantur. Non hic ergo quaestio utrum fuerit, sed potius tempora, quibus primum coli coepit sit, et in ritu esse queremus.

At, circa polichromiae originem, meandum credo ad ipsa Graecorum artium primordia, ubi scilicet primum aliiquid sive ligno, sive topo, sive creta dolatum est, ideoque attingimus primordia gentis. Quae quum ex Aegypto cum Ramesse Danao migrasset in Graeciam, populis constans Iudeis quae Lacedemoniam, Indicis quae Ioniā, Aegyptiis quae reliqua incoluerunt, mores ab iis transtulit regionibus, unde veniebat. Itaque quum et apud Aegyptios et apud Indos, uti adhuc in monumentis eorum videre est, mos illiniendi simulacra coloribus invaluisset, nil mirum si Graeci hunc retinuerint inde abeunt; quem ritum tamen, quo magis ab exitu illo aberant, et eo minus colebant; perfectionis apicem in optimis artibus postea adepti, nihil aliud inde retinuerunt, praeter id, quod non modo optime conciliaretur cum arte, sed arti sculptoriae adiumento esset, et signa aspera intuentibus deliniret. Quum tamen color, abeuntibus annis, vel palescat, vel nigrescat, vel evanescat, necesse erat iuxta ipsum elementa coloris, aëre faciente, vel quotannis, vel singulis lustris necessario colores instaurare, praeter ea, quae in delubris victimarum fumo, et fumo thuris et aromatum palabant. Sacerdotibus igitur hoc munus erat, et ideo statis diebus, ut Macrobius, ni fallor, ait, « simulacrum Io-

vis minio inungi, illinique solitum »; et ideo etiam noster Horatius:

*Delicta maiorum immeritus lues,
Romane, donec templa refeceris,
Aedesque labentes Deorum, et
Foeda nigro simulacula fumo.*

Haec pro certo scimus in templis fuisse perpetua, et quadam necessitate cogente; si vero consideraverimus sacerdotes tenacissimos antiquissimorum fuisse morum semper, si consideraverimus necessitatem instauracionis huius iugiter redeuntem non modo in ea, quae sub dio, sed etiam in ea quae sub tecto simulacra servabantur, cognoscemus quid sentiendum de polichromia sit iuxta originem, quid insuper sequenti tempore iudicandum.

Septimo ante Chr. saeculo, quae ligneis antea sculptura et creta utebatur, molle lapidum genus adorta est, topum dico, cui et coloris causa lapidi inhaerentis, et ad perfectionem quoque operis pictura ferebatur non modo idonea, sed vel necessaria. Qui vero autem ad topum Graecos fuisse conversos, marmoribus saxeisque reiectis, quia dura nimis haec scalpis resisterent, quibus uterentur, eos errasse et errare credo; nam et apud Aegyptios et apud Indos invenimus durissima porphyretica, et granitica (ut aiunt) optime sculpta, ne quid de lapidibus, quae intra pretiosos lapides adnumerantur, feram; scimus autem, ex reliquiis, eos in hisce scalpendis usos fuisse quadam ignota nobis mixtura ahena, quae durior ipso chalybe nostro est, quinimo ex ipso arma conflata, quae haud quidquam chalybi vel optimo cederent hodierno. Idque mihi certum experimento fuit; quum enim rusticus quidam repertum ex aere gladium in vetustissimo sepulcro ad me videndum attulisset, probare volui quid valeret; ideo in cultrum optimum, quo in coquinis utimur, probatum diu, gladium intuli quasi vulneratus; et chalybs noster, — ter enim experientiam inivi, — ter minor aere fuit, et dentatus infelicissime,

magnum admirante me, a periculo et certamine rediit.

Et uti res magis Aegyptiana, magis India (date veniam verbis) appareat, animadvertisendum est hosce colores non sequi, non distribui iuxta imitationem rerum, quae sculpturis exprimebantur, ita ut non nisi vestes flavis, rubris, caeruleis, viridibus operarentur, vultus vero manusque candidis, roseis delinirentur, ferme unice rubro et caeruleo omnia velarent pictores, opportunatis et veritatis incuriosi. Qui quidem mos et in anaglyptis servatur, iuxta Hetruscorum ritum vasculorum, decoratis pictura, et, rectius dicam, distinctis. Itaque aut figurae ceruleae sunt rubra in area, aut rubrae figurae sunt in caerulea.

Hac disciplina ad quingentesimum annum et vicesimum circiter ante Chr. peruentum est, qua aetate nobilissima in marmore materies, atque haec aptissima scalpendis data statuis fuit, quae tum quia mollior, tum quia obediens magis, tum quia fingendis apprime vel delicatissimis respondebat, omnes visa est proferre numeros, neque a sculptorum manibus inde dimota, aut reiecta. Tunc autem, quum pulcherrima materies esset, indignum visum est omnino eam picturis abscondere; credo etiam ambitione aliqua scalpentium non fuisse coloribus opertam prorsus, scilicet ut appareret in quo saxo periculum fieret, et etiam ne cum ligneis ac topaceis confunderetur. Capilli hic flavo quadam subnigricante colore fuscata sunt, et barba, supercilia, labia rubricata appaerunt, oculi pupilla nigro emicuit. Cingula, fimbriae vestium, orae alicuius ornamenti participes factae sunt, sandalia, et ligamina horum modo purpura discrevit, modo colores, quibus acu interpungebantur de more. Eadem de peplis, eadem de manicis tunicarum, eadem de zonis, quibus tunicae ad latera stringebantur. At si minor usus, multiplex color; nam rubro et caeruleo additur niger, et quoniam aper-

ta via ambitioni est, brevi, ut in republica solet, irruptit aurum, et scintillare coepit inter colores. Ne audem candor marmoris nimium strideret, offendiceretque oculis eminens a coloribus nimis, quodam liquamine seu unguine delibuta sunt marmora nuda, et ita candor mollitus.

At quo magis ars excellentibus crescebat artificibus, eo minus polichromiae spatium relinquebatur, quasi ipsi artifices nolent laborum suorum opus invidia picturae velari. Quinto hinc et quarto ante Chr. saeculo polichromia languescit brevi moritura, et quamvis aliquid adhuc praebeat, nec sine laude in metopis Olympici Iovis, in Mausoleo operoso Alicarnassi, in sarcophago, qui Alexandri Magni dicitur in Constantinopolitano museo, morientis hae voces habendae sunt potius, quam triumphantis ac dominantis.

Fateor etiam post Christum aliquid polichromico simile exstisse, nam recordor apud Vicovarium repertum in effosione sarcophagum, Antoninianae aetati adscribendum, egregie sculptum figuris, Meleagri venationem praferentem, quibus in figuris certa auri signa apparebant; scimus et alia simulacra pariter auro delinita fuisse tum Augusti aetate, tum circa, et antea scilicet et postea; sed has auri deductio-nes ad ostentationem divitiarum potius arbitror factas, quam ex lege sculptoribus imposita.

Neque aliter dicendum est de signis ahenis, quae adhuc supersunt, de equestri Marci Aurelii statua in Capitolio, de Hercule in museo Vaticano. Auro quidem adoperta erant, et nonnullis in partibus Aurelianum illud Augustum adhuc, omnino auro operitur Hercules; at... quanta pulchritudine singula vel minima emergunt in aere, quae fortassis latebant sub auro, aut, nisi latuisserint, certe ob auream coruscationem non optime distinguebantur!

Nunc aliquid mihi dicendum de optatis quorumdam, qui rursum inducendam po-

lichromiam in statuis tueri putant, mirabile nescio quod inde sperantes; fortasse viventis personae imaginem pulchre et realiter adductam. Esto quid sit futurum; at nihil inde arti; nam nos ideo statuas miramur, quia lapideae sunt; viventes non miraremur. « Omnia praeclara, rara »; proverbium vetus; neque enim admiratione percellimur videntes a Providentia Dei tot miriades animantium quotidie ali; miramur autem quinque hominum millia in deserto a Christo nutrita. Insolita miramur; ab assuetis non fit passio. Ita et in statuis. Immo addam; non sine quodam stomacho aspiceremus haec simulacula suis distincta coloribus; crederemus viventia a longe videntes, propiores facti videremus demortua, cadaveribus similia. Ars omnia perderet, industria artificis delusione operiretur; dum in marmoreis ars et industria eminent, et quae eminus marmorea putantur, cominus viva apparent, et ferme spirantia, quae vultu, quae actu praeferunt.

Ne retro gradiamur, quaeso; colores pictoribus, marmorea sculptoribus relinquamus. Divinum quiddam illi facient si in levigata et aqua tabula profunda dabunt, eminentia edacent; divinum isti pariter facient si ex muto saxo et gelido et inanimi cupiditates, animos, vitae actionisque calorem et prope sonantia animis verba extrahent scalpri sedulitate, genii virtute.

G. P.

Publi Syri sententiae:

- Beneficiorum calcar animus gratus est.
- Crudelis est in re adversa obiurgatio.
- Exire magnus ex tugurio vir potest.
- Ferrum dum in igne candet cudentum est.
- Fortuna vitrea est: tum quum splendet, frangitur.
- Leonem mortuum etiam catuli morsicant.
- Peccatum extenuat qui celeriter corrigit.

PAGINA HERDERIANA

De hominis aetate.¹

Institueramus interpretari, quae in encyclopaedia Herderi nova proponuntur de aetate. Et de aetatis humanae spatiis quidem et de proprietatibus notisque singulorum spatiorum et de longitudine vitae humanae dictum est. Restat, ut de causa senii persequendum esse videatur.

Quidquid natum est, vel, ut hodie loquimur, quidquid organicum est, etiam si integra valetudo est, si floret, si viget, consenescit. Itaque corpus humanum machinae volunt simile, quod ut machina sensim usu deteratur. Sed est cur corpus a machina aliquantum differat: nam detritui corporis afficit, quod cellulæ, ex quibus organica omnia coaluerunt, perpetuo redintegrantur — dicunt septenis annis renovari totum corpus hominis, carnem et ossa. — Itaque quamdiu crescit homo, plus materiae additur, quam deteritur; in matura aetate quantum deteritur, tantumdem restituitur, in senibus plus deteritur, quam reparatur; ad extremum quum iam nihil reparatur, homo senio extinguitur. Neque eadem celeritate compagis humanae absumentur organa. In his enim primo remittunt cor et arteriae, quae arteriosclerosis, obduratio vel obturatio arteriarum est, illis contra iecur languescit prius, vel renes deficiunt, vel deficit cerebrum. Si autem quaeras quaenam causa sit ultima, cur vigor exhuariatur, nemo illam causam adhuc enodavit: in obscurioribus vitae aenigmatibus haec quaestio est.

Et sunt, quorum vita cito labitur, quos dicimus ante tempus consenescere; sunt contra et viri et feminae, quibus integræ stant et corporum et mentium vires in summam senectutem, ut cuique obtigit complexio corporis a maioribus.


¹ Cfr. fasc. sup.

De arte autem retinendae iuventutis — nam is locus sequitur — pauca sunt dicenda. Sua sunt cuique aetati propria, quibus ceteris praestet, ex quibus ceteris praestet, ex quibus metiat vitam universam. Qui adhuc pubescunt et iuvenescunt ad multa et ardua opera incitantur facile, laeti in ea quae summa viderint ferruntur. Virorum et senum tranquillitas est et usus vitae, ex quo noverunt prudenter de rebus humanis iudicare, et sedato animo moderari consilia, unde solet maturum illud existere et grave, quod frustra quaeras in adolescentibus.

Unicuique autem licet quantum patiatur affectio, corpus tueri a morbis et servare vegetum firmumque vita ex ratione apta, rerum omnium temperantia, sufficienti somno, cura cutis, arte gymnica, duratione, recta respiratione. Qui praeterea rebus contenti suis aequam mentem servare noverint, qui quum alacritate obeant status sui officia, quosve saltem iuvet fecisse officium, qui semper aliquid vel corpore moliantur vel mente, si idem praecipiti dediti religionis nihil faciant, quod conscientiam violet, hi nihil sibi faciunt reliqui ad leniendam vitam atque extendendam.

Errant autem qui vitae terminum differi posse existiment variis artibus recuperandæ aetatis florescentis. Retardant fortasse signa senii, nequedum disceptatum est, quantum in eo genere proficiatur quibusdam sectionibus introductis a Steinhach et Voronoff medicis.

Sed omnibus temporibus capti sunt homines, si qui eis polliciti erant ad iuveniem florem redditum. Venditabant pharmacopœiae potionis suas medicatas, quaerabant ad sanandos morbos omnes alchymistæ lapidem sapientum, crepabant alii fontes iuventutis plenis buccis: nihil iis rebus effectum est ad prolatandam vitam, neque efficietur. Circumducuntur homines ubi semel capti sunt talium medicinarum pere-



grinis speciosisque vocabulis et doctis explicationibus.

Restat ut de aetate bestiarum et plantarum interpreter. Et de bestiarum quidem aetate non multa certo sunt observata. Sed comparanti animalium grandium vitam parvis simplicium organorum animalibus ulro appetit distare aetas animalium latissime.

Sunt bestiolae, quorum corpora ex singulis cellis constant, ut amoebidae, flagellata vel mastigophora, infusoria vel ciliata, quae non sexu augentur, sed divisione, et idcirco neque senescunt neque moriuntur participes quodammodo immortalitatis. Weismannus certe biologus, natus anno 1834 Francofordii, mortuus anno 1914, unius cellae corpora immortalia dicit. Talia sunt in bestiis superiorum ordinum dumtaxat spermia. Nequedum cognita est causa, cur bestiae adeo differant. Ab imis bestiarum generibus quarum brevissima est aetas, ascendit longitudine vitae ad vertebrata; reptilium et avium longissima vita est, brevior fit in mammiferis. In his observatum est aetatis longitudinem coniungi cum magnitudine et temperatione corporum et cum tempore longiore aut breviore praegnacionis: illarum bestiarum aetas longiores esse, quarum artificiosius instructa sint corpora quarumque diuturniores praegnations sint.

Etiam plantarum aliae vivunt longum tempus, aliae breve. Neque ad diutinatem eius vitae refert, quae sit organorum structura: nam multae summae perfectionis plantae, ut floriferae et sativae plantae: zizania, idest herbae inutilis, frumenta, faba, pisum, vitam habent paucorum mensium, quum multi frutices et plurimae arbores aetas attingant summas. Testimonio est rosarium illud mille annorum, quod est in coemeterio ecclesiae cathedralis Hildeshemensis, quod quadringtones annos vixisse et nunc singulis annis florere testata res est. Testimonio sunt

multae notae arbores, quae singula millia annorum vivunt et amplius.

Postremo ut in bestiis, ita in plantis interitum praecedere solet senescendi tempus et emoriendi, quum desierunt crescere, quum defecere iam vires ad superanda quae incident interna et externa mala, quum telae extendi cessarunt, quum cortex fatiscens rimis iam non satis tegumenti et praesidii est. Sic plantae moriuntur confectae senio.

Haec sunt igitur, quae de aetate generatim habet encyclopaedia Herderiana. Sed est operaे pretium discere etiam aetas cum plantarum tum bestiarum notarum, quae ibi ad finem adduntur. Vivit igitur:

Dracaena (Drachenbaum) millia annorum quattuor vel quinque;

Sequoia (Mammutbaum) annos totidem;

Cupressus tria millia annorum;

Taxus et Taxodium vivunt ad terna annorum millia;

Cedrus et Castanea bina millia;

Fagus, Tilia, Quercus singula millia;

Populus et Fraxinus ad septingentos annos;

Rosarium superat quadringentos annos; Abies et Pinus ad quadringentos annos pervenient;

Vitis attingit annos centum triginta;

Ilex centum viginti;

Dryas centum et octo;

Cyclamen sexaginta;

Calluma vel erica quadraginta;

Cytisus laburnum triginta;

Berberis viginti quinque;

Vaccinium totidem annos attingit.

Bestiarum aetas notantur haec:

Testudo nigra vivit ad trecentos annos;

Exos ducentos quinquaginta;

Elephas ad ducentos;

Psittacus centum quinquaginta annos;

Bos, Leo, Tigris, Zebra, canorae aves ad vicenos quinos annos vivunt;

Tarandus, Capra, quinos denos annos; Formica femina ad quinos denos annos; Formicae mares paucas vivunt hebdomadas;

Canis, Vulpes, Felis, vivunt annos a denis ad duodenos;

Cuniculus ad septem annos;

Ratti, mures ad ternos annos;

Apis regina duos vel tres annos;

Fucus quattuor vel quinque menses;

Papilio ad tres hebdomadas;

Ephemera larva ad tres annos vivit;

Ephemera alata a quattuor ad quinque horas.

A. AVENARIUS.

MEDICAE NOTAE

De vario morborum genere.

Longum non minus quam taediosum foret altius hic repetere velle, quae de causae morbifcae, morborum et symptomatum discrimine olim tradiderunt *Institutionistae*. Si enim omne illud, quod hominem affligit, iuxta Hippocratem, morbus est, quid, queso, erit, ut haec tria tanta cum subtilitate distinguantur, quum non solum in uno tertio convenient, sed etiam in se invicem subinde commutentur? Morbum enim sequitur symptoma, cuius quasi causa est ipse morbus; deinde datur symptoma symptomatis, et sic prius est morbus, posterius productum morbi.

Ut vero subiectum morbi nunc radicaleiter est in partibus fluidis, denominative vero in partibus solidis, ita ipse morbus describi potest, quod sit vel « partium fluidarum in temperie et in mistione alteratio », sive vitiosa fluidorum dispositio, actionibus in oeconomia animali edendis inepta, vel « partium solidarum quoad situm, poros etc. vitiosa dispositio ».

Morbi dividuntur in morbos intemperie, morbos conformatiois, et morbos solutae

unitatis: ad quod tamen ultimos omnes cum Hippocrate referre possumus,¹ dicente omnes morbos esse ulceræ; id quod optime de morbis etiam fluidarum partium dicitur.

Morbi intemperie sunt vel cacochymia, vel turbata mistio sanguinis. Et quum illa primario et proprie haereat in sanguine et ceteris humoribus a sanguine dependentibus, dum nempe una qualitas excedit et praedominium obtinet, hinc variae huius intemperie recensentur species; v. g. intemperies frigida, intemperies calida, salsa, arida, austera, pituitosa, biliosa, melan-cholica, viscida, etc.

Solent etiam intemperiem cum materia et intemperiem sine materia inter se distinguere; verum quum intemperies tamquam qualitas vitiosa non possit esse sine materia, rectius omnia illa quae de intemperie sine materia dicuntur, omittimus. Et quum morbi occultarum qualitatum, sive totius substantiae, ad morbos intemperie, sive turbatae mistionis referantur, quid opus est entia temere multiplicare, prae-sertim quum ipsa venena non occulta sed manifesta agant in corpora nostra qualitate, nempe corroendo, exedendo, fluidorum mistionem destruendo, peregrinas fermentationes excitando; quidni ergo licet morbos malignos, sive occultarum qualitatum, per salium figuram, per peregrinum aetherem explicare?

Sunt autem morbi turbatae mistionis, morbi fluidorum, dum haec secundum minima turbantur: hinc, ex turbatione mistionis sanguinis, prodeunt omnis generis febres, tamquam ex Pandorae pyxide, non nisi gradu a se invicem distinctae. Quo enim profundior mistionis turbatio, eo maior malignitas, ut in peste, febribus malignis; eo minor malignitas vel nulla, ut in ephemera, hectica, febribus intermit-tentibus.

Morbi conformatiois sunt vel in quan-

¹ Lib. de fracturis.

titate vitiosa secundum numerum et magnitudinem, quales v. g. tumores; vel in qualitate vitiosa secundum figuram, secundum poros, vel fibrarum laxitatem et rigiditatem.

Morbi compositionis situm partium notissimum laedunt, et unius partis cum alia connexionem, ut in hernia intestinali.

In morbis solutae unitatis vulgo attenditur ad continuitatem solidorum, in sensus incurrentium; quod si solutio continui fiat a causa scindente vel pungente partem aliquam fibrosam, morbus ille vocatur «villus»; sin vero in eiusdem generis parte solutio fiat ab humore acri et corrosivo, dicitur «ulcus». Quod si continuum in parte aliqua dura laedatur a violenta aliqua causa externa, erit «fractura»; sin pars illa ossea exedatur ab humore aliquo stygio vel septico, dicitur «caries». Quod si plures fibrae contundantur, non statim vero a sanis separantur, morbus ille vocatur «contusio».

Haec essentialia morborum; sunt vero et accidentalia, intuitu quorum morbi dividuntur in «morbos congruos», quales sunt variolae in infante, febris tertiana in iuvene, catharrus in sene; et in «incongruos», v. g. cachexia in infante, variolae in adulto, causus in sene. Quae divisio utilitatem suam habet in instituendis praesagiis, quum morbi incongrui plus semper alant periculi quam congrui et aetati convenientes.

Porro morbi dividuntur in «idiopathicos», sive per essentiam, et in morbos «sympathicos», sive per consensum. Morbi per essentiam sunt, quando causa radicaliter est in ipsa parte affecta; morbi autem per consensum fiunt, quando malum aliunde communicatur, vel causa transmittitur. Sic datur v. g. epilepsia per consensum ex ventriculo, ex utero, ex liene; sic datur vertigo essentialis; datur etiam vo-

mitus sympatheticus. Consistit ille consensus vel in paritate nervorum, in continuitate, vel etiam vicinitate, vel in sanguinis reliquorumque humorum circulatione; hinc non amplius difficile est explicatu, quare vomitus, nausea, colica comitentur nephritidem; quare in passione hysterica adsint motus convulsivi, respirandi difficultas, et vomitus; in lumbriantibus epilexia, in disenteria singultus, in alvi obstructione icterus; maximus enim est consensus inter omnes nervos partesque membranosas, ut inter uterum, intestina, ventriculum, dia phragma et meninges.

Dividuntur quoque morbi in morbos «epidemicos», qui epidemice plures permeant regiones; quales sunt variolae, febres malignae, tussis ferina, dysenteria; et in «endemicos», uni regioni familiares...

Tandem morbi sunt vel «chronici» et diu durantes, quos non die neque horis, sed septimana et mensibus metimur; quales sunt febris quartana, hydrops, cancer, phthisis, etc.; vel sunt morbi «acuti», qui videlicet cito et cum periculo ad finem tendunt; quales sunt apoplexia, omnes febres erysipelatosae sive inflammatoriae; v. g. phrenitis, angina, peripneumonia, pleuritis, passio iliaca, nec non omnes febres malignae. Morbi acuti non solum, sed et paroxysmi febrium intermittentium sua habent tempora, quae in principium, in augmentum, statum et declinationem dividuntur: principium primis horis vel diebus circumscribitur; augmentum fit quando symptomata ingravescunt; in statu omnia sunt in extremo et res versatur in discrimine; tandem declinare dicitur morbus, post factam aliquam crisin, et quando symptomata a vehementia et gravitate cessant. Horum temporum diversitas dependet primo a natura et indole ipsius sanguinis, qui commune hoc habet cum omnibus liquoribus fermentescibilibus, ut gradatim fermentare incipiat. Secundo a

maiori vel minori lucta et pugna inter aetherem peregrinum et aetherem consuetum: quo enim hic vel ille difficilis vel facilis expellitur et succubbit, ita ipse aegrotans citius convalescat vel morietur, et tales morbi citius vel tardius ad statum vel declinationem devenient.

His morborum differentiis colophonis instar aliae superaddi possunt, dum morbi vel sunt simplices vel compositi, universales vel particulares, vernales, aestivi, autumnales vel hyberni, haereditarii, remittentes, intermittentes parvi, magni, legitimi vel morbi, benigni, vel maligni.

WALDSCHMIDT.

COLLOQUIA LATINA¹

XXVII.

Pensum diurnum.

MAGISTER, DISCIPULUS.

MAGISTER. — Non tu existimas, Antoni, ad progressus in eruditione liberali haud ita longinquo tempore consequendos permagni interesse, certosne tibi labores, libros exercitationesque proponas, quibus studium dedas in dies singulos, an ut impetus tulerit, ita quidquid et tamdiu agas?

DISCIPULUS. — Sane quidem maximi interest. Haec mea est opinio.

MAG. — Nonne praeterea intelligis quanti refuse ac perturbate, an distinete, et ordine discas atque exerceas, quae discenda et exercenda sunt?

DISC. — Ego vero perspicue intellego et reipsa id experior.

MAG. — Non tui igitur consuevisti certa quaedam tractare et unumquodque praestituta hora per diei spatium?

¹ Ex IACOBI PONTANI opere, cui titulus: *Progymnasmata latinitatis passim retractavit hodiernisque moribus aptavit I. F.*

DISC. — Prorsus consuevi.

MAG. — Commemora mihi quanam istuc ratione.

DISC. — Posteaquam ad primam auroram somno solitus de lectulo surrexi, corpus amictu contexi, faciem ablui, capillum pexui, a Deo opem auxiliumque pro diei laboribus efflagito....

MAG. — Castissime: a Deo enim, qui est totius sapientiae primus et antiquissimus Parens, auspicari oportet; ab eo agendi sunt capienda initia.

DISC. — Tum me ad libros applico. Primo quae omnia ante meridiem in scholis pronuntianda sunt ex memoria edisco; reliquum tempus in vespertinis diei praecedentis interpretationibus dictatisque consumo, ut, si iusseris, possim auctorem explanare. Aere campano interea in ludum accersimur: ibi tu ipse nosti quid agam.

MAG. — Et quid tu et quid alii.

DISC. — A prandio rursum edisco et repto mecumque retracto ac revollo quae te explicantem, et alioqui ad nos expoliendos accommodata et idonea disserentem audiui. Si quid superest temporis, quemadmodum mane quoque, aliquem auctorem lectito.

MAG. — Quando scribis?

DISC. — Secundum scholas pomeridianas usque ad coenam: id est intervallum horae et semis. Nunquam autem scriptio manus admoveo nisi prius Ciceronem versaverim, animumque meum illius compostissimae ac splendidissimae orationis illecebra delimitum, amore et diligentia ad similiter scribendum inflamarim.

MAG. — Euge, prudentissimum consilium. Quam vellem te condiscipuli et quotquot posthac se mihi in disciplinam trident, imitarentur! Hoc si fiat, publico fiat bono. A coena quid incepitas?

DISC. — Si non desunt sodales, honestis facetisque sermonibus, aliquando symphonia, seu cantu musico, cum illis diem comburo. Si solus, aut testudinem pulso,

aut aliquam radiophonicam transmissionem audio, aut fabellas, apophthegmata, historiam planam et diserte ac terse conscriptam, quandoque etiam festiva poëmata lego, quibus lectiunculis oblecto otium meum, et tum ex ipsa rerum pulcherrimorum cognitione, tum ex sermonis elegancia, quasi aliud agens, utilitatis fructum minime poenitendum excero.

MAG. — Liberalius, iucundius, conducibilis suadere tibi nihil potuissem: supra aetatem sapis. Diebus festis quid rerum agis?

DISC. — Ad exercendam memoriam, de poëtis veteribus, item ex Cicerone, Livio, Sallustio locos insignes repeto, quia te id in laude ponere non sum nescius. Praeter ista in Graecis non parum temporis colloco. E sacris auctoribus ad animum emendandum etiam saepe aliquid lego.

MAG. — Probo summopere institutum. Quid? diem vacationis totumne dum cunctum concedas, in ludo exigis?

DISC. — Deus averruncet, ne tu suspicias me unum de inertium illorum esse sodalitio, qui ludum et ferias imprimis, studia in postremis numerant.

MAG. — Quid ergo facis?

DISC. — Ubi horas aliquot corpus animumque iucunde recreavi, et ad omnem me hilaritatem effudi, mihi met receptui cano, ad libellos regredior. Nam me quemcumque diem, quo non didicerim, perdisse statuo.

MAG. — Quam non invito mihi ad aures sermo hic tuus accessit! O te sollertissimum, o summe industrium adolescentem! Tu non amandus? Tu non gestandus in sinu? Mane in hac ratione semper, teque ex ea lucrum, emolumenque uberissimum, et immortalis gloriae splendorem acquisitum spera!

.....
Nulla est tam facilis res quin difficilis sit
Quam invitus facias.

TERENTIUS, Heaut.

ANNALES

Nationum Societas.

Genevae Nationum Societas iterum convenit, disceptatumque in primis est utrum Aethiopum regis legato ius esset adhuc conventus ipsius esse participem; dumque opinio praevalere videtur quaestionis iudicium Hagensi tribunali deferendi, en Societatis supremum consilium controversum ius affirmat, legatumque admittit, recente, uti facile coniectui erat, legatione Italica a consessu, qui neque nunc quidquam definit tum de Aethiopici imperii regimine post Italas victorias constituto, tum de Societatis statuto corrigendo, quemadmodum in votis omnium est; quae quidem argumenta ad « kalendas graecas » dilata sunt iterum.

Ad Germaniae libertatem tueram.

Germania interim libertatem suam — ut asserit — tuendi gratia ulterius procedit: Hitlerus pro concione, periculis recensis Germanico populo obventuris, praesertim ab initis Russos inter atque Gallos recens pactionibus, insectatusque Bolscevicorum audaciam omni vi repellendam, nunciat prorogatam in civitate sua militum conscriptionem, qua igitur armatorum numerus ex improviso valde augetur: Gallia inde ex parte sua militaribus novis cautionibus sibi providet.

In Graecia.

Et Graecia a Russorum malefico influxu se defendit. Itaque Metaxas, ad gubernacula rerum praepositus, dictatoris potestate a rege obtenta, publicum legatorum coetum legibus ferendis dimittit, eorum qui

Communistarum sectae faveant in vincula detrudit, novum administratorum collegium delegit, omnesque factiones severissime dirimit.

Palaestini motus.

In Palaestina Arabum rebellio gravior ita facta est, ut Anglico gubernio necesse fuerit suos milites supplementis fulcire inexorabilemque coercionem cooptare.

Hispanicum bellum civile.

In Hispania summum civitatis imperium in Russorum bolscevicarum manus traditum prorsus fuisse dixeris: ecquis enim enarrat turpia et horrenda omnis generis, quae illic contra fidem, religionem omnemque humanitatem quotidie patrantur? Quo magis actio patriae gloriae, dignitatis, libertatis defensorum feliciter procedit, eo magis popularium, qui sese impudenter appellarent, belluina, imo daemoniaca crescit ferocia. Tempa et monumenta vel pretiosissima, inter quae celeberrimae illae aedes Toletanae, quibus nomen Alcazar, — ubi manus heroicorum iuvenum dira omnia perpetens, usque dum libera tandem facta est, acerrime obstitit —, igneis glandibus evertuntur, solo aequantur; mulieres et pueri obsides capiuntur et moenibus affiguntur quo primi ab adversariorum ictibus percutiamur; sacrae imagines, thesauri sive publici, sive etiam privati diripiuntur: horribile dictu! cadavera sacerdotum, sacrarum virginum secta in porcorum lanienis publico visui exponuntur!... Ex inquisitione habita ab internationali Societate, cui a Cruce Rubra titulus, et est, prout omnes norunt, praesertim ad vulneratos in bello curandos, manavit, centum millia civium morti usque nunc tradita, atque tercenta millia vulneribus affecta!

Quousque tandem, mi Deus?

POPULICOLA.

Hispanici luctus ALMAE ROMAE familiam quoque nostram perculerunt: ex diariis enim publicis cognovimus inter satanici furoris victimas recensendum quoque esse EMMANUELEM JOVÉ, socium iam a laborum nostrorum initis fidelissimum; qui imo, nostris vestigiis insistens, *Palaestram latinam* in Hispania condidit, virilique ardore moderabatur.

In Cerverensi athenaeo, litteras docens latinas, una cum sodalibus suis et discipulis Claretianis vivebat, quum omnes iussi sunt infra horam aedes relinquere, documenta tantum quae singulos respicerent asportantes. Quid facerent? Obsistere, vel etiam interponere moram, certae erat occumbere morti; nec minus fortasse si et congregabat discederent alioque aperte tenerent; itaque intra datum tempus disiuncte abierunt, seque in proximarum sylvarum occultum abdiderunt. Brevi vero fames mordere coepit; ne inedia perirent, ut quisque seorsim natalem domum attingere conaretur, statuerunt. Jovaei vero ut incertissimae sorti tirones suos committeret, animus non sustinuit, cumque eorum quatuordecim ad patrium Valbonae oppidum profectus est: iamque ad illud prope feliciter pervenerant, quum in armis sicariorum turba, en, obvia fit, a qua ut religiosi viri agniti, manuballistarum ictibus impediti et nefarie omnes occisi sunt: Jovaeus animam efflavit ante oculos patris, qui eius in occursum venerat!

Dum amici desideratissimi casum lacrymis persequimur, martyrum gloriam ei a Domino imploramus, pro certo habentes ALMAE ROMAE socios et lectores omnes suas ad Deum preces cum nostris conduxeros.

A. R.

VARIA

Eos qui in eadem regione nascuntur, semper retinere aliquid naturae eius regionis, cognatum et familiae.¹

Vetus dictum est, quod ut sapientissime pronuntiatur, ita diligenter observari debet: res futuras ex contemplatione praeteritatum coniici cognoscique posse. Quaecumque enim per universum orbem fiunt, habuerunt olim aliquid simile, quod eodem modo antiquitus, et ex iisdem causis ut haec quae nunc videmus, factum fuit. Ratio huius rei hinc pendet, quod omnia ista, quae in diversis temporibus similia cerni dicimus, hominum opera sunt, quumque sit humana natura omnibus saeculis, necesse est ut semper habeat easdem passiones et affectiones. Hoc unum interest, quod aliis saeculis aliae regiones magis abundant hominibus virtute praeditis, quam aliae; quod ipsis pro diverso educationis modo evenit, quia ex forma educationis prima vitae initia sumunt originem. Eo magis etiam videris ex praeteritis futurum rerum eventus posse conicere, quia cernimus certis quibusdam regionibus peculiares quosdam affectus insitos, et nunc et semper fere eodem modo fuisse. Sic avaritiam quibusdam populis semper fuisse familiarem novimus, aliis fraudem, aliis aliam aut virtutem aut vitium insitum fuisse scimus. Florentiam nostram intueamur, eiusque res gestas ex antiquis monumentis erutas, cum praesentibus conferamus: sic enim deprehendemus eam ab exterorum et barbarorum hominum avaritia, superbia ferociaque semper plurimum esse passam. Ecce enim, quoties Carolus VIII, Galliae

¹ Ex NICOLAI MACHIAVELLI opere: *De republica disputationes ex prima decade T. Livii latine vertit H. BINDI.*

rex, accepta a nostris civibus pecunia, promisit illis restituere arces, quas tenebat, Pisanas? Sed nunquam restituit. Omittamus haec nimis recentia; videamus antiquiora. In bello quod gessit nostra Respublica Florentina adversus Vicecomites, Mediolani duces, quum ceteris auxiliis destituta foret, cogitavit de Germanorum Imperatore in Italiam evocando, ut auctoritate et potentia sua Longobardiam invaderet. Imperator eorum petitioni assensit promisitque se cum magnis copiis venturum, bellum illud contra Vicecomites perfectum, Florentiamque defensurum, si illi Florentini solverent in ipso expeditionis initio centum millia aureorum nummum, et totidem statim ubi Italiam fuisse ingressus. Assenserunt Florentini iis conditionibus, et solverunt primam pecuniae summam primo, deinde etiam alteram. Sed Imperator postquam pecuniam recepisset, non ultra Veronam progressus de reditu cogitavit, re plane infecta, hanc unam sui redditus causam praetexens, quod ipsis pacta promissa non fuissent servata. Florentia ergo, nisi necessitate coacta, perturbata fuisse; atque ex antiquis monumentis si barbararum gentium naturam indagare voluisset, nequaquam toties multata esset. Ita enim potuisset harum gentium naturam semper sibi similem deprehendere.

Cuius res exemplum de Gallis certe valde manifestum legimus in historia Hetruscorum et Romanorum. Nam quum Thuscis bellum diuturnum adversus Romanos fuisse, iamque ipsi aliquoties a Romanis caesi et in fugam conversi agnoscerent se Romanis viribus pares non esse, Gallos, qui in Cisalpina Gallia tunc habitabant, stipendio conduxerunt, ut coniunctis viribus sese a Romanis defendere possent. Sed Galli tunc pecuniam a Thuscis quidem acceperunt, contra Romanos vero arma pro Thuscis sumpsere, non ut opem ipsis ferrent, sed tantummodo ut ab excursionibus in eorum agrum abstinerent. Quo factum

est, ut Thusci simul et pecunia multati, et auxilio quod sperabant destituti fuerint.

Nos vero ex antiquissima hac historia facile coniicimus, eamdem olim Thuscis naturam fuisse, quae nunc est, et in ipsis maxime Florentinis cernitur: eundemque exterarum gentium animum erga ipsos iam olim fuisse, quem adhuc hodie experimur.

De leone et homine.

Senex Leo, quum alia docere solebat filium suum, tum illi praecipere, ne unquam cum homine congrederetur et pugnaret: « Animal enim illud est — dicebat — mirificum et invictum ». Leunculus illa quidem audiebat, sed non tangebant dicta animum. Quum adolevisset, et sentiret vires suas confirmatas esse, progreditur quodam die eo animo, ut proelium cum homine committere vellet. Videtque in agro conjugatos boves; accedit igitur et rogat num homines sint. Illi quidem se homines esse negant, sed ab homine impositum iugum portare dicunt. Digressus ab his equum conspicatur cum strato et frenis alligatum ad arborem. — « Tun' homo — inquit — es? » — « Minime ego quidem — inquit equus —, sed homini servio et obtempero ». Paulo post cernit quandam in silva qui ligna finderet. Ad quem accurrens: — « Homo — inquit — videris esse ». — « Ita est » ille. — « Pugnabis igitur mecum ». — « Maxime, — inquit ille — sed quaeso te, distrahe prius hanc arborem, cui vides ferrum istud impactum ». Incutit mox Leo ungulas fissurae arboris, et dimovit quidem eatenus, ut cuneus excideret; sed vis tanta non erat, ut arborem distraheret; itaque partibus, ut fit, utrinque redeuntibus, comprehensis pedibus, illic haerebat captus Leo. Tum lignator clamores tollere et de agro undique vicinos ad vocare contra Leonem. Hic vero quum se in discrimine esse animadverteret, omni-

bus viribus adhibitis, pedes de ligno retraxit, atque ita quidem, ut ungulas per rasque intra arborem relinqueret. Reversus ad patrem suum cum cruentis pedibus: — « Mi pater, — inquit — si paruisse monitis tuis, ungulas non amissem ». (ad amorem) ***

Fabula hortatur omnes ut imprimis quidem parentibus, sed et aliis recte monstrantibus, libenter obsequantur atque parant.

Pro iudicibus mensarum elegantibus.

ESCARUM ORDO:
Puls hordacea.
Fici intra crustulas panis frixas.
Caro leporina venatorum more decocta.
Botellus ex spinachiis, extis pullorum fartus.
Millefolium Italicum.

Aenigmata.
I
(Permutatio vocalium)
 A proficisci ad bella volentibus implorandus.
 O invicta manet dum mundi finis adesto.
II
 Garrula sum volucris; frontem mihi sigmate
 Matura segetis culmina summa nota.

Aenigmata in superiore fasciculo propo sita his respondent: 1) *Aqua*; 2) *Plus minus adversa subferimus omnes*.

LIBRORUM RECENSIO

P. ALEXANDRI MONTI S. I. *Carmina* (Cunei, ex typ. prov. Natalis Menzio, MCMXXXIII, p. 80). Carmina Alexandri Monti S. I. legentes in hanc sententiam, ni fallor, statim devenient, poëtam iamdiu carminum didascalicorum, quae dicuntur, palmarum sibi vindicare proposuisse, hac in re non sane paucos eiusdem Societatis imitatus,

qui saeculis elapsis quamplurima huius generis poëmata ediderunt. Hoc iter ingressus historias, si dixerim, *de arte volandi, de isthmo panamico, de aquae ductu apulo, de vertice terrae explorando* (*Ad polum versus*) tam fuse abundantanter explicat, ut vel minimas res, nulla prorsus omissa, maximo studio prosequi videatur. Quid hoc cum Musis? Aliud quidem historiam, aliud carmen scribere, quod lectum regli cupiat. Quamquam igitur hic passim loci inveniuntur, in quibus magna vis res clare atque eleganter describendi appetit versusque poëta nimia facilitate aptos ac bene sonantes excudit, tamen haud poëtice rem educere videtur, quippe qui saepissime, vel varietatis vel digressus causa, interrogandi ratione utatur, tamquam novas vires ad alia canenda id faciendo quaerat.

Magnis difficultatibus et rerum et sermonis auctorem incurrisse, easque nonnunquam per bene viciisse nemo est, mea quidem sententia, qui neget; plurimos enim versus ad hoc demonstrandum adducere possem, nisi definito spatio deterrener. Attamen fatendum, si totum opus spectes, hic Musarum veneres ita deesse ut, si numeros excipias, non carmina, sed solutam orationem auctorem conscripsisse dixeris. Quod puto poëtam aperte iam monendum — neque eum pigate — ut tandem, incepto itinere deserto, aliud capiat opusque Musis dignius conficiat.

Illud quoque optandum est, ne semper iisdem argumentis ita auctor insistat ut nonnullis poëtici vi ingenii forte carere videatur; eum enim ille nonnunquam sese praebet, qui exquisitam rem menti propositam optimis coloribus exornare possit, dum ne tantum versus excudere studeat. Quod melius adipiscetur, si maiore cura ad linguam perpoliendam incubuerit, ut verba repetita deleat (quoties exempli gratia hic *canalem* exeuntibus versibus legimus!), quae forte nimis italicum sermonem redoleant mutet, et denique syllabarum quantitate rectius utatur. Nam non pauca prosodica menda hic inveniuntur, quae sine ullo prorsus labore auctor et medio sustulisset, si paulo maiorem mentem huic rei adhibuisset. Exempla maioris momenti referam: pag. 22, v. 420 *apparuit* (errata quantitas indicatur); pag. 28, v. 32 *confinia*; pag. 40, v. 39 *culminibus*; pag. 41, v. 74 *perpetuus*; pag. 58, v. 227 *elatum*; pag. 59, v. 255 *audacibus*, aliaque hic illic plus minusve reprehendenda.

Quae omnia limae labore defuisse et poëtam in versibus componendis nimis aurium iudicio esse confisum demonstrant.

Quodsi res magis Musis convenientes sibi canendas sumpserit maioremque curam versus conscribens adhibuerit, non dubito quin longe alios ingenii sui fructus auctor sit nobis quamprimum daturus.

Ios. MORABITO.

Libera a pittaciis responsa

ALMAE ROMAE subnotatio incipit a kalendis Ianuariis et Iuliis. Hoc novis illis sociis dictum sit, qui his diebus pretium consociationis miserunt, quibus itaque fasciculos a superiore mense Iulio editos tradidimus. — Meminerint autem idem pretium esse pro Italia libell. 15; ubique extra Italiam libell. 30.

ANDR. AVEN..., *Tirschenreuth*. — Novum, quem nuncias, scriptorem magna cum laetitia salutabimus. — Quid de infelicibus amicis Cervarianis factum fuerit, superius heu! legisti. — Litteras ad me datas in proximo fasciculo edam, fortasse cum alia aliqua mea adnotatiuncula. Interim si vocabulum illud *posta* tantum tibi cordi est, papae! exemplo utere, neve exspectes dum ego extremum clausuram oculos; eoque magis si omnes precaris divos ne id fiat ante longam seriem annorum: diu nimis enim angoribus premereris, qui te ante me confidere possent; quod profecto nolo.

I. ISS..., *Uvrier*. — Libenter tibi morem geram; liber vero, de quo loqueris, nondum ad me pervenit. — Ecquando nova tua scripta per ALMAM ROMAM vulganda?

RIC. KL..., *Neo Eboraci*. — Tuis litteris iam, quum tu das, ego responderam: certe nunc in manibus tuis esse debent.

EV. BLER..., *Lugduni*. — Et facere et pati fortia Romanum est!...

A SECRETIS.

IMPRIMATUR: Fr. A. ZAMPINI. Ep. Porphyreonen.,
Vic. Gen. Civitatis Vaticanae.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

REGULUS

ACTIO DRAMATICA HENRICI JOSEPHI COLLIN

(In Latinum convertit VALENTINUS FEHÉR).

Bo. Pol istaec hercle non est iusta commutatio;
Namque, ut videtis, huc reducem reduxi Regulum,
Quoius hau vos ignoratis par esse castris pretium.
Non esset isti pol aequom, si pluris hostibus,
Quam vobis aestumaretur. Iacens ante aram supplicat;
Ipsus loquatur. Surge, Regule. Promisisti statim
Revorsorum, nisi captivei mutati sient.
Dii tuom ius iuratum audiverunt. Loquere.

ME. Iam ilicit tibi, Bodostor. — RE. Hunc ego seuar,
Nam coram eo possunt mea verba communirier.

ME. Quid ita? — RE. Namque censeo de hoste vel improbissimo
Absent loqui non decere ne servom quidem abiectissimum,
Qui quandam Romanus fuit; hoc ob factum illum seuar.

ME. Tibi pol gratulatur hoc Romana civitas;
Bodostor hic manebit. — RE. Video vos, patres,
Commotis esse animis. Video, oculis quam tristibus
Meas spectetis inditas ab hoste compedes;

Quia sum servos, haec res animos vostros degravat.

Ego istuc hercle timui. Praebete auris sultis mihi, Patres,
Ne credatis me summissum esse in humilitatem penitus;
Corpus quidem meum hostis compedit crassa compede,
Tamen me ipsum aut animum non item. Is per maria
Ad vos, patres Romani, quasi transvolaverat,
Hic inter vos morabatur ad hoc momentum temporis,

Quom coram vobis coniunctus cum corpore gratias

Diis agit laetus, quod hoc momentum temporis

Mihi tribuit bonitas illorum. Sic adsidue

Degebam civis inter civis Romanos in animo.

Quare meas preces benigne ad auris vostras mittite.

O auscultate, patres, mea verba, quasi verus ecfutiat

Istaec Romanus. Me servom esse obliviscamini.

ME. Quom Romani te cogitant, tantummodo tuas

Laudes meditantur. — RE. O si posthac meum sequamini,

Quod rectumst consilium et bono efflorescit animo!

Nolite dedere captivos, obsecro vos, Patres.

Bo. Quin taces, tu proditor? tuo cum damno loqueris.

RE. Quiesce, hostis, satis habebis ad vindictam temporis.

ME. Tace, Bodostor, et tu vero perge, Regule.

RE. Edepol meum consilium clarumst ac liquidum.

[10]